

1661, 5
Act.
22
17
COELESTI ARCHIATRO

Clementer adnuente!

Consensu & autoritate

Gratiosissimi Medicorum in Illu-

stri Philyreâ Collegi,

PRÆSIDE

VIRO

Maximè - famigerabili

DN. D. JOHANNÉ MICHAELIS,

Patronorum Supremo,

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

De

PHILTRIS,

PRO LICENTIA

DOCTORALES in Arte Medicâ obtinendi HONORIBUS

REBUS ac Privilegia,

ad diem XXVII. Septembris, Anni Messiani

elo Ibc LXI,

Publicè subicit censura

GABRIEL CLAUDERUS, Altenburgo

Misnicus.

LIPSIÆ,

Excudebat JOHANNES WITTIGAU.

Fortes creari Fortibus, TUO quoque elucet
Exemplò,

Serenissime ac Celsissime Princeps ac Domine,

DN. CHRISTIANE,

Dux Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium, Landgrævie
Thuringiae, Marchio Misniae, Princeps Comitatus Henne-
bergici, Comes de Marcâ & Ravensburg, Domine in Raven-
stein, Princeps clementissime,

Natales enim debes

Tanto Heroi PATRI, MATRI tanta Heroine,
Utrique semper-virentis SAXONICÆ RUTÆ Ramo,
Hinc duplicatam etiam SIBI de TE jam laudata RUTA
Gloriam promittit;

Promittit SIBI, dico, nec SIBI frustra promittet;

Septennis enim Germanicam, Gallicam, ut & Italicam Linguas
(tantum - non sine exemplò,) tam ingeniosè calles,

Ut quanam sit vernacula, jamdum quasi nescias;

Heroicè - orientem Virtutum reliquarum splendorem,

Quas à PARENTIBUS Hæres accepisti PRIMOGENITUS
heic non attingo.

Hinc hilares in TE adsurgente figit oculos sperans Patria;

Hinc tanta ab Illustris. PARENTE expertus Beneficia,

FELICITER! cum Eâdem Ego adclamito,

Gratiosæ TUI Favoris me tradens continuationi;

Utq; me, & meum hoc qualequale à Malevolorum preserues fascino

Submissâ peto observantiâ Cliens humilimus

GABRIEL CLAUDERUS.

Quod Deus benè vertat!

§. 1.

Homo Homini Deus, Homo Homini Diabolus, uti antiquitatis ita veritatis laude conspicuum sonat *Proverbium*; quod haud inconcinnè ad hanc materiæ nostræ tractationem adplicare poterimus: Hi enim, quibus Pietas in corde salit, Divino illi Mandato, *ama Proximum uti teipsum*, obsequuntur, unde fit, ut alterum alter modis ac mediis eat adjutum omnibus, ut *dives esurientes* (ceu loquitur Scriptura) *cibet, sitientes saturet, nudosq; vestibus induat, Inquilinus recipiat Peregrinos, sanus aegritudine aut carcere detentos invisat, dissentientes reddat concordēs, aliisque periculorum & humanæ miseriæ procellis fluctuanti subveniat*; unde jure meritò, hominem homini esse Deum aut Angelum adfirmare possumus.

§. 2. Contrarium, hominem nimirum homini esse Diabolum, ex jam dictis facilè clarescit: Execranda enim impietatis & scelerum mancipia tantum abest, ut Proximum uti seipsum diligant, aut ut esurientes saturent, sitientes recreent, nudos vestiant, ægros visitent, aut periculosis calamitatum myriadibus presso succurrant, ut potiùs alterum alter in pericula præcipitet, lædat, impediatur, & alterius Fortunæ aut sanitati insidias struat.

§. 3. Illud idem quoque sceleratâ suâ malitiâ confirmatum eunt clandestini isti amasii, & spurix amatrices aut meretriculæ, dum alterius amorem clanculum suffurari ac sibi conciliare audentes, sæpiùs illum efflictim amatum aut amatam si non subitò vitâ, tamen sanitate spoliant, crudeli variorum morborum tyrannidi subiiciunt, Maniam Melancholiamvè generant, & sic Divinæ particulam auræ eripientes, sui similes brutis assimilant, atque nescio quæ centum alia infortunia & mala illicitò istò amoris pariendi genere pariant.

§. 4. De hâc *Amoris conciliatione*, malitosò ejus furtò, ejusque malignis effectibus, materiâ uti quidem intricatâ, ita tamen in Proximi sanitatem & commodum ventilatu dignâ & adprimè necessariâ, impræsentiarum proponere nonnulla, & quidem eâ, quâ possibile erit perspicuâ brevitate (cùm aliud sit Tractatum, aliud Theses disputatorias conscribere,) animum induxi meum; Quod ut suo Nomi- ni sanctissimo honorificum, gratiosæ Facultati huic, totique Reipublicæ

blicæ Medicæ proficuum & laudabile, Mihi quæ ac Proximo salutare, evenire velit Medicorum Primas, Deus, humilimâ mentis devotione precor & obtestor!

§. 5. Principiò autem proposituri sumus *Nominis* enodationem, deinde *Definitionem* ejusque explicationem adjungemus, postea *causam Philtrorum efficientem*, vel quis illa præparet aut propinet? tractabimus, denique causam *materialem*, magicam nimirum & naturalem exponemus, tandem causam eorum *finalem* adnectemus, & quaestiones, an & cuiam Philtra exhibere liceat, item an ad certum aliquod individuum amor restringi possit, ventilabimus, ultimò frequentes illos Philtrorum non verorum effectus, Maniam, Melancholiam, &c. & eorum sanationes subjungemus.

§. 6. Juremeritò autem ab ipsâ *Nominis* enucleatione nostram exordimur tractationem, cum ex nuce nucleum qui esse vult, frangat nucem necesse sit. Philtrum suos debet natales *Græcis*, *Φιλτρον*, & deducitur *ἀπὸ τῆς Φιλῆν*, amare, quam Græcam vocem suâ civitate donatam retinere *Latini*; aliàs hoc etiam *circumscribunt*, & poculum amatorium, amoris illecebram, amoris conciliandi organon adpellitant; res enim & adfectus nomina sortiuntur modò ab effectu, modò à causis, à parte adfectâ, similitudine cujusdam rei, & similibus: suam denominationem accepit Philtrum ab effectu, nim. amore, cum per hoc sive licitò sive illicitò modò alteri alter amorem communit, aut communicare audeat.

§. 7. *Nominis* enodationem statim insequitur *Definitio*, quam ponimus talem: Philtrum est Pharmacum, quò Homini Homo amorem conciliat, aut conciliare audeat, atque ita Vesaniam & alios adfectus p. n. sæpè causatur. Diximus Philtrum esse *Pharmacum*, tam quia veluti omnia medicamenta alterationem aliquam nobis causatur, tum quia ut plurimùm non aliter ac genuinum medicamentum modò potionis, modò pulveris, & simili formâ *intèr*ne propinatur, aut *externè* adplicatur, tum quia ex animali, vegetabili aut aliò remediorum genere, uti alia remedia, non rarò præparatur, tum quia vocem *Φαρμακία* pro omni veneficii genere, quò vel hominibus, vel brutis, vel plantis quocunque etiam modò noxa inferri potest, Antiqui familiariter usurpârunt. Diximus propinari *amoris conciliandi gratiâ*, licet intentioni rarissimè respondeat effectus, tum quia ut plurimùm modò illicitò

citò



citò neque coelitus petitò auxiliò adhibeantur; tùm quia legitimos conficiendi & propinandi modos ignorent, & sic pro Amore furorem sapiùs, aut mortem ipsam eò celerius accersant.

§. 8. Causam Philtrorum efficientem sive à quibusnam in usum vocata sint & vocentur, quod concernit, propinant ista ut plurimum Diabolici isti Sophistæ, venefici aut veneficæ; ut enim scelerata sui Magistri exercendo opera hominibus noceant, licet iste aliàs discordiarum & odii communis sit Parens, alias ob causas majorisque lucri quærendi causâ hanc vel illam personam vel sibi ipsi mutuò adstringunt amore, vel alios nefariò modò ita copulant, ac sapiùs (effectu non adeò expectationi correspondente) amatis amentiam conciliant.

§. 9. Lamiis hisce aut veneficis succedunt Scortatores & Scorta, dùm Tauri isti in Venerem coecò libidinis insaturabilis œstrò ruentes desideratò amasiò honestis amoris modis ac mediis potiri nò valent, (cùm eos fortean neque externa formæ, neque interna Virtutis commendet pulchritudo,) unde in Deum Nobis, utpote in sui imaginem conditis, utilia & salutaria largiter erogantem diffidunt, & Diabolicam consulant Magiam. Hæcce Scorta scelestâ insequitur aliud hominum genus, quod non quidem Diabolicâ aut Magica adjutum ope ac operâ; sed remediis naturalibus (licet modò utendi illis illicitò,) hujus vel illius personæ favorem sibi conciliat aut conciliare gestit; sic aliquando servi, teste Experientiâ & Autoritate Paracelsi, Tract. I. de morbis amentium cap. 5. p. 497. suis Dominis hujusmodi quiddam per insidias obtrudunt, à quò assumtò Domini servos obstinatissimè amare incipiunt; unde sæpè evenit, ut servus fiat Domini Dominus, & servi mancipium Dominus.

§. 10. Mediis denique naturalibus, & modò quidem licitò ejusmodi Philtra in usum vocantur, aut utiliter vocari possent, si cognita fuerint, à Conjugibus, dùm alterius Nupti in alterum amor non satis profundas egit radices, ut indissolubili postea amoris alterni vinculo invicem colligentur. Illud idem, ut odium in duorum pectore nutritum laudabili metamorphosi in arctiorem transeat amicitiam, religiosus & cordatus Medicus aut alius sine injustâ Conscientiæ suæ maculâ procurare poterit.

§. 11. Pergimus ad causam materialem, sive materiam ex quâ Philtra concinnantur. Philtrum optimum & omnibus licitum docet



Nos Coelestis noster Amor, dùm in *Sacrò Codice* inquit: *Ama Proximum uti Teipsum*, cuiusque enim favoris ac amoris obviam imus officiis, ille Nos, nisi improbitatis in pectore foveat virus, redamabit, & quæ ipsi præstitimus, nobis præstabit. Idem *Ethnici* jamdudum inculcavere; Sic *Seneca*, Epist. 9. inquit: Ego Tibi monstrabo amatorium (Glossæ veteres explicant *Φίλτρον*,) sine medicamento, sine herbâ, sine ullius veneficæ carmine: *Si vis amari, ama*; Et *Martialis*: *Marce, ut ameris ama*; Et *Ovidius*: *Sit procul omne nefas, ut ameris amabilis esto*; quæ obiter heic dicta sunt.

§. 12. Materia autem Philtrorum vel est Magica aut Diabolica, & fit per incantationem, vel est naturalis. Luber hîc allegare verba *Paracelsi* locò suprâ citatò: *His modis fœminæ nonnunquam viris quid præbent, à quò excussa ratione eò amoris præcipitantur illi, ut nil quicquam vel tractent, vel meditentur, quàm amorem earum fœminarum, à quibus datum Pharmacum acceperunt*. Unde communi Linguae vernaculæ proverbio dicunt *Nostrates*: *Es fan nicht anders seyn/ sie muß ihm die Liebe haben zu essen gegeben*.

§. 13. Quoniam autem *impium* & Christiano indignum esset ob evitanda scandala, atque præcavendum abusum, materias istas apertè hîc proponere; Ideo saltem *confusè* mentionem faciemus, (quantum quidem sine Conscientiæ maculâ possibile est & licitum,) è quibus nam rebus ista amoris pocula variis artibus & operibus componantur, ut ab hisce quodammodò sibi *cavere* valeant cautiores & sagaciores.

§. 14. Exordiemur à *Magicis*, vel mediante *fascinò* fientibus: Amorem Diabolus per suas *pedissequas*, veneficas diversis generare modis præterdit, modò enim solis utuntur *verbis, signis, characteribus, cantionibus, ceremoniis, imaginibus, & aliis execrandis*. Oculis etiam aliquem fasciandi adscripsere modum, hinc *Virgilius*: *Nescio quis teneros oculus mihi fascinet agnos*. Magica autem ista signa ab *Autorum* nonnullis indigitata heic enarrare, religionem duxi.

§. 15. Modò dicta signa simul recitant vel inscribunt materiis nonnullis aliis, *corollis, annulis, armillis, amuletis, clavis, acubus, &c.* Cerâ præprimis sæpè abusus esse istas abominandas, apud Antiquos invenimus; eam liquefaciebant, ac æneum *globum* circumagebant, simul precando murmurantes: *Sicuti ego hanc ceram liquefacio, ita statim præ amore liquefiat ille N. N. cordi meo charissimus; & uti vol-*
vitur

vitur hic aeneus orbis, sic ille volvatur ante fores nostras. Sic apud Theocritum & Virgilium legere est: *Limus ut hic durefcit, & hac uti cera liquefcit unô & eodem igni: Sic noſtrô Daphnis amore; Et apud Ovidium: Devovet abſentes, ſimulacraque cerea fingit, & miſerum tenues in jecur urget acûs.*

§. 16. Modò etiam aliquibus herbis aut aliis rebus medicamentoſis ſub ſpecie recti & veri ad ſclerata ſua opera ſimul abutebantur. Sic Virgilius Libr. 3. Georgicorum inquit: *Miſcent herbas & non-innoxia verba.* Veteres Romani *Laurum* urebant, quaſi amaſio ſupplicantes; Alii urebant *Olivam*, aut earum oſſa & nucleos; quâ combuſtione & veneficiò Diabolicæ iſtæ concupifcentiæ teſtabantur flammam, & procorum duritiem mollire & incantare ſtudebant, ne diu fruſtrâ ament, ſed citò amaſium allicerent, unde ſimul in hóc cremationis actu precabantur, ut earum amore iſti ſimillimo modò torrentur; Demùm combuſta & in cineres redacta ſpargebant, trans caput jacta, in ventum. Sic Theocritus Idylliò 2. *Iynx trahè illum meum virum ad domum noſtram, nunc ſacrificabo & ſuccendam pityra.* Virgilius Eclogâ 8. veneficiis adjungit illum verſum: *Ducite ab Urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.* Item: *Fer cineres, Amarylli, foras, rivoq; ſtuenti, transq; caput jace.* Alii adhibent *Hippomanes*, ſic apud eundem, Libr. 3. Georgicor. *Hinc demum Hippomanes verò quod nomine dicunt Paſtores, lentò deſtillat ab ingvine virus.* Quidnam rei fuerit *Hippomanes*? ab Autoribus controvertitur: plures putant, illud eſſe virus deſluens ex equarum *inguinibus*, quò tempore feruntur amoris furore & infaniâ; *Plinius & Junius* putant eſſe quandam *carunculam* pullo equino in fronte naſcentem, colore nigrò, quò ſtatim editò partu devoret pariens, neque foetum ad ubera admittat, ſi quis præripuerit; hinc *Ovidius* Libr. 2. de arte amandi: *Datque, quòd à teneri fronte revellit equi; Et alibi: nec tentate nocens virus amantiſ equæ; Heſiodus & Servius* putant eſſe quandam herbam, ſic nominatam, quaſi *ἵππας μανία*, quòd Hippomanes faciat libidinem equinæ ſimilem.

§. 17. Diabolici iſti ritûs apud Ethnicos non deſierunt; ſed ad illos quoque, qui Chriſti nomen profitentur, ſunt derivati; unde ab hiſce modò hoſtias conſecratas ſanguineis literis inſcriptas, modò ſecundas, aut alias res baptizatâs (turpe quidem & horrendum dictu!)
& alia

& alia usurpata & adhibita Scriptores prodiderunt. Sic etiam pluribus herbis, animalium partibus, aut aliis rebus medicamentosis naturalibus signa nonnulla aut verba vel magicè vel superstitiosè addendo abutuntur. Variis autem modis eo adhibent, modò illa *intra* corpus adsumenda propinant, modò uti *amuleta* de corpore suspendunt, modò vestibus aut pileis insuunt, & nescio quibus aliis modis superstitiosas istas & magicas exercent operas.

¶ 18. Materia Philtorum *medicamentosa* naturalis & sine Diabolicà suos effectus edens Magià depromitur ex tribus illis regnis, tam *vegetabili* & *minerali* quam, & quidem præcipuè, *animali*; & talia sunt excreta & alia nostri corporis excreta quæ utilia, quæ inutilia, *sanguis ipse, sanguis mulierum mensstruus, semen, secundina, lac, sudor, urina, alvi fœces, saliva, Capilli, ungues*, Item ab aliis petita animalibus, *serpente, busfone, ranâ, & similibus*; Item medicamenta *venerens stimulantia* & *semen argentea* legitimè præparata & imbuta ad conferendum certo individuo amorem poterunt adpropriata reddi.

¶ 19. Non potui autem non hic monere, tales & similes materias ad curatissimam indigere *elaboratione*, & cautissimam propinatione, antequam magneticam suam energiã corpus amatum optatè alterare valeant, ut desideratos in porrigentem amoris radios sufficienter spargant. Qui itaque salvam sibi cupit *Conscientiam*, à talium exhibitione (nisi expertum prius in *consilium* vocarit Medicum,) modis omnibus licitis & illicitis absteineat; facile enim in genuinam conficiendi aut propinandi methodo peccare poterit, & sic non amorem selecti alicujus individui ad se restringet; sed eidem vel *generalem* & *confusam* erga omnes amantium amentiam aut furorem amatorium conciliabit, vel *maniam* melancholiamve producet, vel planè *morti* subito irrumpendæ & enecantis aperiet fenestram.

¶ 20. Unde de imperitis istis & cœcis in Amoris Laboratoriò operatoribus verè loquitur *Paracelsus* Tract. 1. de morbis amentium, cap. 5. *Scorta sapius propinant aliquid, ex quò sensum mentisq, privatio multiplici ratione inducitur.* Sic *Lucretii* Poetæ Uxor maritum alienò teneri amore existimans, ut eum sibi soli reddat, menstruum suum sanguinem tam crudè propinavit, unde miser Poeta in rabiem actus violentas sibi ipsi tandem intulit manus; Quod etiam *Caligule* & *Lucullo* eodem (id est funestò) contigit eventum; Unde *Ovidius*

Ovidius, de arte amandi monet: *Philtre nocent animis, vimq; furoris habent.*

§. 21. Cum itaque probatâ Autorum constet *experientiâ*, periculosos sæpissimè adfectus ex talibus Pharmacis tam imperitè & ludicrè paratis ac adhibitis in Proximò innocenti & tale infortunium non merenti, ortum traxisse, uti videre est apud *Forestum* Libr. 10. observ. 29. *Rulandum*, Libr. 1. Curat. empiricar. p. 32. *Heinr. ab Heer* observat. Spadan. 13. *Salmuthium*, Centur. 1. observ. 70. *Borellium*, Centur. 1. observat. 65. & alios; ideò confido illos omnes, qui Divinam metuunt pœnam, periculosas hæc amatorias curiositates non esse illicitò modò amatuos.

§. 22. Dari certò nonnulla *simplicia* aut alia nonnulla, quæ naturalem amorem in personâ amatâ, qualemqualem expetis, producere apta nata sunt, extra dubitationis ponimus aleam; sed in illorum *notitiam* incurrunt pauci, pauci quos æquus amavit Jupiter. Sic *Paracelsus*, locò supra citatò, in hæc erumpit verba: *Quòd illi, quò ederunt aut biberunt aliquid à Scortò datum, in amorem alicujus concipiantur & rapiantur, causa hæc est, quòd simplicia quædam existant, à nobis hic minime enumeranda, quæ istam in se vim habent, quæ si viris foeminis, aut hæ illis propinent, amor indissolubilis & pertinax inducitur. Simili operâ canes quoque & pecora adeorum amorem coguntur, qui Medicinas istas præbent.* Sic etiam Philosophus per ignem, Libri *Jus Duum-viratùs* insigniti thesi 54. docet, dari *simplicia*, quæ inebriant, somnum, soporem, oblivionem, stuporem, amentiam, furores & deliria inducant; esse item alia, quorum usu in amores, iras, imò in certas saltem personas feruntur. Et in *Tract. de magnet. vulner.* curat. §. 27. p. 478. dicit: *Novi herbam passim obviam, quæ si teratur, & manu foveatur, donec intepuerit, mox alterius manum detinueris, quoad & illa tepescat, ille continuo tui amore ardebit per aliquot dies.* *Detinui pedem catuli, hic confestim me peregrinum secutus est adeò, quòd noctu ante cubiculum ejularet.* Idem mihi etiam certè adfirmavit de *plantâ vili* & ubivis ferè obviâ, serius quidam sedulusque Naturalium indagator, Amicus meus singularis; & quòd hoc fiat sine omni aut magorum aut superstitiosorum additione.

§. 23. Herbam *Charisiam* easdem Philtre vires habere, nonnullorum constat *experientiâ*, unde mulieres, ut eò feliciter & facilius desideratos

Helmontius

B

deratos



teratos amoris fructus valeant decerpere, brachiis eandem alligare o-
lim consueverant. Quanam autem illa sit herba, Charisia dicta, non
certò constat; Joh. Costeus, Tract. de univers. Stirp. Historiã statuit,
eam solò nomine esse cognitam; Alii putant, vocem hancce planè esse
fictam, & dici à Græcorum voce *χάρης*, quòd gratiam & favorem illa,
sub hóc nomine intellecta, conciliet. Otto Brunfelsius in Onoma-
sticò Medicinæ dicit, Charisiam *placenta* esse speciem; nisi fortasse an
errans Typographus pro plantã *placenta* vocem irreperere permiserit.
Magnif. Dn. *Præsidi* quondam narravit Chymiater suæ ætatis prima-
rius Joh. *Hartmannus* curiosum quendam Naturalium indagatorem
sibi illud ipsum de Amore adfirmasse; utque fides constaret verbis,
pulveris parum ipsi dedit, quod in cibò *passeri* capto propinavit, unde
factum est, ut postea passer iste perpetuus ejusdem aut ad sedendo, aut
advolando voluerit esse comes.

§. 24. Pergimus ad causam *Philtorum finalem*; illa ut plurimum
est amoris conciliatio; aliquando tamen maledictæ istæ veneficæ, ut
suo Parenti, Diabolo, blandiantur, atque operas horum foedere, di-
gnas edant, sub Amoris præensione, quæ corporis quæ animi Proximo
generant ægrotudines. Perrarò tamen ad propositum Amoris per-
tingitur scopum, ac sæpè plenariò frustranter sine, non quidem, quasi
desint planè Philtra, tale quiddam naturaliter præstare valentia, uti
monuimus antea; sed quia ista plerumque aut Diabolicã & magicã o-
pe, aut non priùs imploratò Divinò auxiliò ad varios abusùs & amores
illicitos adhibentur.

§. 25. Ventilatu necessariæ hïc sunt illæ controversiæ, an & cui-
nam propinare Philtra liceat? Quod liceat, facilè patet, si nimirum
modò naturali & legitimò, inque personis licitis contingat, cum sit o-
pus, quod in Divinæ Majestatis gloriam, clariorem mirandorum DEI
operum manifestationem, atque in insigne Proximi nostri commodũ
vergat; *DEus enim creavit Medicum & Medicamenta ex Terrã, &
vir sapiens non spernit ea*, inquit ipsa Scriptura.

§. 26. Quibusnam autem adhibere liceat, ut declaremus, statui-
mus, nulli ferè hæcce operas instituere licitum esse, nisi Conjugibus, &
illis esse propinandum, qui Vatinianum invicem alunt odium, ut illud
instabile veræ amicitix vertatur foedus. Ideoq; ut supra etiam mo-
nui, à Philtorum propinatione personis quoque concessis & modò le-
gitimò

igitimò sibi caveant illi omnes, qui vel illa simplicia Paracelli, Helmon-
tii aut alia notata solò tactu quasi infallibiliter agentia non reverà &
certò cognita habent; item illi omnes, qui genuinam & adcuratam
rerum aliarum naturalium supra partim citatarum præparationem &
exhibitionem rationis lance ponderatam, & experientiæ firmatam ro-
bore, non adcuratè cognitam habuerint & perspectam, aliàs enim Pro-
ximo si non Vitam auferent, tamen mentis operationes periculosè tur-
babunt, aut ad summum in amatorium aliquem erga obvias omnes
præcipitabunt furorem; multæ enim dantur res, quæ amoris in indi-
viduum aliquod restrictionem causari non possunt, præcipuè si non re-
ctè exhibeantur; Sic Joh. Costæus, Libr. 1. de univers. stirp. historiâ,
cap. 24. p. 82. refert, *radicem Surnag in Monte Atlante ad Solem occi-
dum reperiri, cujus vis tam est mira, ut non solum Domesta robur ad-
dat in venerem; sed in Libidinem statim agat, si in eam quis emiseric
urinam.* Alia brevitatis gratiâ hîc prætereo.

§. 26. Alia adhuc, eaque gravissima nobis offertur ventilanda
controversia, nimirum, an beneficiò alicujus Philtri amorem in de-
terminatò aliquò individuò generari possibile sit? Negativam hæc
nus defenderunt acriter multis suffulti rationibus Medicinæ Antisti-
testantum - non omnes, cùm sæpe observaverint effectum propinato
Philthro non respondisse, aut locò Amoris Maniam, Melancholiam,
& similes ut plurimum inde esse insecutos adfectûs, uti videre est apud
Clarissimos, Sennertum Institut. Medic. part. 3. Libr. 2. sect. 2. cap. 4.
pag. 424. & Libr. 1. Practicæ Medic. Part. 2. cap. 10. p. 360. Joh. Frei-
tagium, Noct. Medicar. cap. 74. p. 314. Joh. Jac. Genathium. Decad.
6. Disput. 4. Gregor. Horstium, Tract. de Naturâ Amoris, Joh. Mat-
theum, Centur. Quæst. Medicar. 32. p. 118.

§. 27. Quamvis quidem à tantis Viris & Medicæ Artis Magistris
clarissimis dissentire quasi piaculum esse videatur, tamen cùm in nul-
lius Magistri verba jurare jubeamur, insuperque miranda Naturæ ar-
cana, stupendæ rerum sympathiæ & magneticæ operationes magis
magisque cum Deò & die innotescant; Si enim nuper citati Medici
clarissimi, & plures alii, in Medicinæ Fundatorum, Hippocratis, Ga-
leni, Avicennæ, &c. ivissent semper sententiam, & illud commune
αὐτὸς ἔφα observassent, neque nonnullas veterum opiniones ventila-
tioni adcuratori subjecissent, & laboriosâ curiositate examinassent,



multa ægrotanti Proximo utilissimè jam adhibenda Nos adhuc late-
rent, neq; *Asellius* Lacteas venas, *Harvèus* motu sanguinis circularem,
Virsungg ductum Pancreaticum, *Rudbeckim* aut *Bartholin* vasa lym-
phatica, *Bartholin* & *Pecquetus* lacteas thoracicas. *VVarthonius* vasa Sa-
livalia, *Helmontius* & *VWillisius* veru fermentationis ad edendas cor-
poris nostri operationes usum Nobis aperire potuissent; ut taceam
centum alia. Ideo, licet loco Amoris desiderati aut nullus aut sce-
leratus & morbosus sæpius sequatur effectus, tamen, dari etiam reve-
ra talia Philtra, quibus in individuò aliquò determinari possit Amor,
rationis & Experimentæ fulcris innixus pro virili defendere cona-
bor.

§. 28. Plurimi in immensam nostros animos admirationem tra-
hentes rerum naturalium quot diebus vel quot horis potius contin-
gunt effectus, (quales non modiò aut trimodiò, quod dicitur, sed to-
tò horreo heic admetiri possem, nisi verear, ne in Tractatum excre-
scat nostra hæc Disputatio,) quorum manifestas proponere causas
(licet non pauci, iique sagacioris ingenii sese in hisce detegendis fati-
gaverint,) nondum ita fuit possibile, sed ad alias, nimirum *occultas*
qualitates confugere fuerunt coacti rem penitius considerantes Me-
dici, in quam rem uti solet, id est eleganter & adcuratè, inquisivit Cla-
riss. noster *Sennertus*, cum pluribus aliis.

§. 29. Antiquiorum quidem nonnulli novæ huic opinioni suf-
focandæ & eradicandæ alacriter obviam iverunt; sed eorum argu-
menta non tantæ videntur esse efficacix, ut ferire valeant noviolem
illam sententiam.

§. 30. Hæc *occultarum proprietatum* opinio nostrâ hæc ætate
iterum malè audire incepit Medicis & Philosophis nonnullis cele-
berrimis: cum ignorantix saltem sint asylum, & alios, ne Naturæ pe-
netralia diligentius penetrent, impediunt & desides reddant. Verum,
cum tales de hæc vel illâ re occultis agente qualitatibus rationes ma-
nifestas erogare rogentur, etiam ad peculiare, & illi rei solùm pro-
prias & específicas confugere (cum aliter non possint,) coguntur; vel
ita explicant suam opinionem, ut res eodem recidat. Hinc elucescit
manifestè, lusum saltem esse in vocabulis; negantes enim occultas,
tamen peculiare illi rei qualitates, nolint velint, concedunt; Quam-
vis ha-

vis harum occultarum qualitatum apud plures ab usum fatear, & de-
rester.

S. 31. Inter hosce non infimum etiam obtinent locum Cartesia-
nus & ejus Discipuli, qui statuentes, effecta naturalia omnia ab atomo-
rum diversimodè figuratorum confluxu & influxu pendere, & sine
recursu ad qualitates occultas, rerumque Sympathias & antipathias
ænigmata & nodos aliquot scientiarum difficiles satis ingeniosè extri-
care audentes, laudem merentur non levem: Verùm, quia illi sua
Principia potiùs præsupponunt, quàm realiter demonstrant, & quæ
ad Naturæ phænomena, quando ad res particulares descenditur, non
quadrant, sed petitionem principii incurere videntur; ideò ab horum
stare partibus hîc non libet.

S. 32. Adcuratus Tenzelius, in Medicinâ suâ diastaticâ locò qua-
ritatum occultarum causam rerum esse harmoniam spiritualis mumia-
sub cujuscunque rei certò & à Deò primitùs adordinatò Astrò, cujus
viribus rerum Virtutes ubivis exercentur. Helmontius ad mumia-
lem rerum magnetismum & fermentationem, vel aliquando ad sym-
pathias & antipathias recurrit; & post Eum Scorix decus Sylvester
Rattray, & Angliæ Lumen Thomas Villis omnium utilissimam do-
ctrinam de Fermentatione, quomodo mediante hâc corporis nostri
actiones ferè omnes fiant penitiùs enucleantes, & Posteritati laudabi-
liter relinquentes, tales operationes, rerumque omnium consensum
& dissensum dependere à peculiari rerum fermentò, quò sese invicem
adjuvent, robovent, transmutent, vel destruant, statuunt, & sua dicta
stabilire rationibus uti amplis ita acutis nituntur.

S. 33. Perinde igitur erit, puto, si ve ad peculiarîa atomorum aut
spirituum effluvia, magnetismos, mumias spirituales, aut fermenta
recurramus, illa tamen peculiari (si fœteat vox occulta), modò fieri
fateri, & τὸ ἐπέχειν prætere, cogimur, aut obscurum per æquè ob-
scurum explicamus. Magnus mihi erit Apollo, qui sine recursu ad
specificas rerum qualitates mihi rationem reddat, cur Tarantula ho-
minem saltare, ridere, plorare, &c. faciat, cur rabidi canis morsus to-
talem liquidorum nauseam causetur, cur Cantharides non solùm ad-
sumtæ, sed sæpè etiam remotissimis adplicitæ partibus non aliam,
quàm vesicam, exulcerent partem, cur Rex Gallie & Angliæ & non
alius, Scrophulas, non verò alium adfectum ullum solò manûs tactû

B 3 sanct.

Sanet, cur *virgula metallariorum* hæc vel illa metalla notificet, neque tamen omnibus æquè administratoribus obediat; ut vel mille alia nunc taceam.

§. 34. Præmissò igitur & præsuppositò, dari tam miraculosos rerum in hócce Orbis universò eventus, incredibiles Sympathias & antipathias, ac operationes magneticas, nunc Amorem per Philtra naturaliter ad individuum aliquod restringi & determinari posse, probaturi sumus. Si itaque 1. nonnullorum Naturæ arcana scrutantium probatâ *autoritate* constet, res nonnullas naturales sine magicâ aut superstitiosâ verborum, characterum, &c. additione amorem inducere posse observatum est, utique fidem illorum antea reverenter habitam facere dubiam non facile licebit; sed prius suprâ probavimus, ergò posterius etiam patebit.

§. 35. 2. Argumentor à *contrariò*: Si dantur res medicamentosæ Confortium Amicorum infucatorum, Conjugum, &c. in contumax pervertentes odium, uti testatum eunt incomparabilis naturalium indagator *Helmontius* in *Duumviratu* §. 54. *Schenckius* Libr. 7. observat. p. 930. P. *Borellius*, Centur. 1. observat. 91. & curiosiss. *Rei botanicæ* Perscrutator, Excell. Dn. D. *Ursinus*, qui herbam mihi nominavit, quæ si aliquandiu in manu detenta à masculò porrigatur foeminae, pervicacissimam excitare reciprocè inimicitiam, creditur. Si itaque dantur res in odium Nos abducentes, quis tam injurius esset in Divinam Majestatem, ut velit negare, Eandem etiam nonnulla per fortissimum illud FIAT ordinâsse, quibus amorem alteri alter inducere valeamus?

§. 36. 3. Argumentor à *simili*. Si viperam & simiam, animalia incomparabile invicem nutrientia odium, possum conciliare, & quidem viâ naturali, ceu Autorum fatentur plurimi, cur, quæso, idem erit factu impossibile in hominibus, utpote specie non differentibus, & sibi magis convenientibus? 4. Si *canem*, aut aliud brutum perpetuum mihi associare possum comitem, (quod toties probatum,) cur non etiam hominem homo in amabile pellicere foedus poterit? 5. Si *morborum* plerosque, & quidem modò naturali, bruto cuidam communicari, in aliam item plantam aut arborem transplantari, ut morbus iste relictò priori id est hominis còvalescentis domiciliò brutum aut subjectum illud infestet, possibile est; cur itaq; hominem aliarum rerum similes vires experiri posse impossibile erit? §. 37.

§. 37. 6. Si levis punctura animalculi istius, *Tarantula* tam stupendam Microcosmo ad Dei imaginem condito causari potest alterationem, ut incantatus quasi modò saltet, rideat, ploret, aut alia sufferre cogatur: Si *rabidus canis* salivâ suâ aut morfu miram liquidorum abstinentiam (& ferè non alium adfectum) inducere potest: Si denique variæ aliæ dantur res cogitationes nostras magneticè perturbare & immutare valentes, (quales *Experientia rerum omnium Magistra abundè suppeditat*.) quæ fit, sis, ut in hocce quasi solò opere, quod non nisi propter absurdum malum est, in aliis pluribus probatissimæ tantorum *Autorum* Autoritati non subscribere non erubescamus, & sic Creatori omniscio, tales vires mirabiles suis indenti Creaturis debitum alienemus honorem? 7. Si dantur remedia vim *Amoris* per veneficas animas nostris fortissimè impressam, aliosvé conceptûs in nobis immutare, imò *Diabolum* ipsum (necessariò tamen concurrentibus precum suspiriis) ab obsessis expellere valentia, nullum video absurdum, si credamus *Autoribus*, Amorem naturaliter induci posse probantibus.

§. 38. 8. Si denique constat, stupendas tam in Macrocosmò & rebus ferè omnibus, animalibus, vegetabilibus & mineralibus, (quæ miranda Naturæ opera hîc ventilare & mirari, jucundum esset & utile, nisi brevitati studeamus,) quàm in Microcosmò Sympathias aut naturaliter fieri, aut artificialiter fieri posse, uti videmus Amorem Fratrum, Sororum & Cognatorum ob spirituum sympathiam & homogeneitatem plerumque esse fervidiorem, quàm alienigenarum: & infantes plerumque cum lacte simul nutrum fugunt mores. Sic occisi sanguinem occisore præsentè à vindictâ quasi Spiritibus impressâ exilire videmus. Sic nasum ex alterius carne factitium mortuò illò, (quamvis ducenta milliaria absente,) è cuius brachiò deprompta erat caro ista, citò gangrænòsum factû & decidisse, miratur *Helmontius* cum aliis. Sic *Petrus Borellius*, *Centur. 2. observat. 47. p. 145.* narrat, sanam mulierem subitò de ingenti in fronte ictu esse conquestam; paucis post diebus certior ea facta est, maritum eòdem momentò ictu bombardæ eòdem frontis locò fuisse occisum. Et Puellam, notat ulterius, ingentibus convulsio-

nibus

nibus fuisse distortam eodem tempore, quò illà insciã parens rotã à carnifice plecteretur. eodem pacto longissimè absentium Amicorum infortunium, morbum aut mortem sensibili aliquã affectuum nostrorũ alteratione non-rarò percipimus. Sylvester Rattray, Tract. de Sympath. de Antipath. p. 104. testatur, *Spiritu sanguinis alicujus viventis vitro hermetice clauso impositu monstrare sanãtatem aut morbum illius, licet longè absentis, cujus sanguis est; mutatione coloris sanguinei in lividum, clarum, turbidũ, rubrum.* Illud idem mihi adfirmavit Amicus quidam, si sanguis alicujus in animale, quẽ vocant, lapidem aut rubinum exaltatus pictorum coloribus misceatur, iisq; illius effigies formetur, tunc ex permanente vegetã effigiei formã illius absentis sanãtatem, ex coloribus priorem venustatẽ perdentibus illius morbum, ex coloribus planè decidentibus illius mortẽ certò colligi posse. Sic Angliã Decus, *Kenelm Digby* in Theatrò Sympatheticò p. 163. refert, puerum sanum & vegetum incidisse in febrem, totius inflammationẽ cum aliquali alvi adstrictione, genuinam nemo invenire potuit causam, nisi quòd nutrix pauca alvi excrementa cineribus admixtis (uti aliquando fit munditiẽ causã,) aliquoties in ignem conjecerit; quã re à Dn. Digbeo prohibitã, excrementisque nonnullis vicibus in aquam injectis reconvaluit puer. Vel centum alia similium sympathiarum exempla hĩc prætereo.

§. 39. Stantibus igitur hisce Sympathiis, quare hocce saltem impossibile judicamus, ut mediante sanguine, semine, sudore aut aliis legitimè præparatis cum personã aliquã (licitã tamen, modòque licitò,) sympatheticè inire familiaritatem non valeamus? Sententiã hujus defensores etiam habeo celeberrimos *Joh. Beguinum*, Tyrocin. Chym. Libr. 3. cap. 1. p. 446. *Dan. Beckerum*, Spagy. Microc. c. 11. p. 77. & cap. 12. p. 90. cap. 11. & 13. p. 129. & horum reverenter habendam in testimonium voco *Experientiam.*

§. 40. Et minimè valet ista *consequentia*: Meretrices aut alii Philtra propinantes voti sui non fiunt cõpotes, & Amasio Maniam aut similem adfectum conciliant, ergò planè impossibilis est amoris in individuò aliquò excitatio. Meretriculã enim istã aut alii, uti antè dictum, nesciunt verum hæcce præparandi modum, & sic crudè & imperitè unum vel alterum propinant, veluti paucis abhinc annis in celebri Urbe abominabile scortum cuidam suã parti Lucii Piscis caput admo-

admovit, & postea comedendum in nigro jusculo dedit, atque ita in Amorem quidem quodammodo, mox autem in Maniam Amatam conjecit; Adhuc scelerata ista ad *impudicam* & illicitam talibus abutuntur Venerem, & propterea coelitus exoranda benedictione destituntur, nisi enim Deus adfuerit, viresque infuderit herbis, nil te Philtra juvant, nil Panacea juvat; ut proinde in illarum exhibitione varias ob causas laudabilis obtineri effectus non possit.

S. 41. *Rationibus* pro virili pugnavimus hactenus, nunc ut *Experientie* nostra dicta firmemus suffragio, non abs re esse judico. Quamvis Diabolus cum suis Discipulis, Veneficis, uti mali cujuscunque ita etiam præprimis discordiarum & odii sit Autor, tamen magicis horum factionibus nonnullos in Amorem aliquando coactos fuisse, fidem faciunt Rei Medicæ Scriptores. Digna præcipue, quæ hic inferatur, est Historia, quam Posteris communicavit πολυμαθέσις *Quercetanus*: *Carolus Magnus*, inquit, Imperator ille sapientissimus immani cujusdam lascivæ amore vi magicâ annulo cuidam (quem secum semper portabat scelerata ista,) impressâ illaqueabatur: Pedem unum jamjam, quod dicitur, in Charontis cymbâ habens meretrix ista, quò post mortem mortuae non minus, ac antea vivæ amore Caesar dementaretur, in ore annulum abscondit: Nec frustra; Caesar enim foetens illud mortuae cadaver adeò deperibat efflictim, ut in proprium conclave reponi curârit; Consilarii Casarei huic amoris inhumano Magici aliquid subesse subol-facientes, in mortuae ore maledictum invenere annulum, quò exemptò evanuit subito vanus Casaris fervor. Nec desunt alia exempla plura, quæ harum pagellarum non capit angustia.

S. 42. Ut remediis naturalibus individuatim sit productus amor, probare possumus non in dubium vocandâ Virorum de Republicâ Medicâ optimè meritorum & curiosè in Naturæ arcana inquiringentium præcipue *Beguini*, tum etiam clarissimi *Paracelsi*, *Helmontii*, *Tenzelii*, *Beckeri* suprâ allegatorum experienciâ; Quæ Testimonia stabilire possumus Autoritate Magnif. Dn. *Præsidis*, qui in amplissimâ suâ Praxi aliquot hujus amoris (in personis tamen illicitis) concitati vidit exempla. Sic etiam non ita pridem Medicam & adjutricem acutissimi Chymiatri, Dn. *D. Langii* manum expertus est Juvenis aliquis, postquam ille à levioris notæ foeminâ pomum citrium dimidium acceptū horâ 4. pomeridianâ comedisset, quotidie postea sub eadem horâ per horæ spatium tantò desiderio & anxio penitus amore in eam foeminam

minam flagravit, ut hinc inde currere ac inquieto animo & anxie eam complectendi cupiditate (absens autem jam erat illud prostibulum,) coactus fuit; Cum autem voti sui compos fieri non poterat ob peregre absentem amasiam, amor indies auxit vires & precipue illa, qua adsumtum erat hora, donec amoris istius illegitimi ignis in tempore medicamentis fuerit extinctus, uti *infra* notabitur.

§. 43. Præmissis hisce, Amoris à veneficis aut aliis improbis modo illicito derivati, item Vesaniæ sceleratis Philtris suos debentis natales *curationem* subjungere operæ pretium duximus. Cum autem curationis *initium* sit morbi cognitio, in signa *diagnostica* ut inquiramus, necesse est. *Amorem* ipsum quod concernit, non adeo difficilis ille est cognitionis: cum enim quidam aut planè inconsueto aut vehementiori impetu vehitur in alterius non tanto opere antea amatae desiderium, in illiusque favorem & presentiam magis anxie, quam antea fecit, aut naturaliter fieri solet, inhiat, tunc aliquid extranei latitare hariolamur & concludimus. *Vesania* verò difficilioris est cognitionis; Signa tamen varia sunt *conjungenda*, ut inde, quantum possibile, aliquid divinemus; precipue autem tales sunt instabiles, modo hilares, modo tristes, prout Amor modo in hæc, modo in alia illos rapit & quando amatae personæ fit mentio, aut visui illa objicitur, tunc in vultu, gestibus ac pulsu manifesta deprehenditur mutatio.

§. 44. Quod ad *Prognostica*; Quemadmodum omnes ab incantatione adfectus à pluribus putantur insanabiles, ita imprimis hoc de Amore (cujus ferocem importunitatem & contumaces operationes, utpote ubique notissimas hæc describere, supersedeo,) erit adfirmandum, unde *Propertius* in hæc erumpere verba non erubescit: *Omnes humanos sanat Medicina dolores, solus amor morbi non amat artificem;* Nos tamen, præstabili remediorum specificorum efficaciam, divinam simul in auxilium vocatâ benedictione, adfectum talem amatorium, precipue si altas nondum egerit radices, aut tolli aut corrigi posse, si non semper; tamen aliquando imò sæpissimè confidimus. Amor autem ille ipse, si voti non compotes fiunt amasiam, aut Vesania nimis fixam occupata sedem, aut in principio negligenter tractata in desperatam aliquando abit maniam aut rabiem; neque tamen tunc deserendos ægrotos judicamus; sed illis adhuc dum ad sistendum, cum aliquando monstra fiant in medicis curationibus, & dubium auxilium certa desperatione sit anteponendum.

§. 45. Ul



§. 45. Ultimò nunc ipsam adgredientes curationem statim aliquos nobis oggerentes audimus, laterem Nos esse loturos, cum adfectus ab incantamentis Diabolicis & similibus exorti remediorum non cedant efficaciam, & sic solis precibus eos esse tractandos. Verumenimverò, quamvis contra Diabolum utpote incorporeum, & ejus affectus medicamentis veluti in alios morbos pugnare non adeò conveniens videatur, tamè ut variis ac mirandis modis Nobis consulat Deus Opt. Maximus, aperuit humano Generi remedia nonnulla magneticè vim maleficam enervantia, quod firmò Experientia multorum confirmavit. Fulcrò; atque mirabiles remediorum puello obfesso à Magn. Dn. *Præside* exhibitorum effectus ante biennium non procul abhinc quilibet videre potuit. Respondere insuper illis possumus ex sacrò Codice, dùm *Tobiae* 6. cap. v. 7. cordis de illà pisce super carbones positi fumum extricare omne Dæmoniorum genus, sive à Viris, sive à Fœminis, Angelus *Tobiae* refert, qui paulò post felici eventu hoc est expertus. Adhæc *Sagarum* nonnullæ in torturæ examine nominârunt aliquoties *Herbas*, quibus illarum Amorem & fascina omnia vel solâ collo appensione solvere valeamus; veluti egregiam Historiam de *Herbâ Hypericò* videre licet in Excell. Dn. D. *VVelschii* *Libro de Obstetricibus*, cap. 38. p. 551. Si itaque Diabolum ipsum, ut domicilium, cogatur deserere remediis adigere valeamus, etiam à scelestis illius & veneficarum operibus & turbis Microcosmi Rempublicam liberari possibile esse, confido.

§. 46. Ut autem uberio rem peccandi ansam surroget hominibus Diabulus, per scelestas suas Artes eosdem desiderati amasii amore beat aliquando, ac postea per ministras suas Veneficas alios, ut eundem amorem illegitimè expellant, irritat; Et veluti variis signis, ceremoniis, abusû verbi Divini, consecrationibus, herbis naturalibus sed supersticiosè & Magicè usurpatis partim *suprà* citatis amorem inducere audet, ita & hîc eòdem modò ejusdem farinae absurdis, illicitis & abominandis amoris expulsionem per suas operatrices expedire allaborat. Verùm, cum antea detestati simus Diabolica ista amoris obtinendi adminicula, ita multò minùs jam istius nequam imploremus opem & operam; cum insuper simus certi, Nos ab istò, qui inimicus noster est totius substantiæ proprietate infensissimus, nisi majus exinde aut corporis aut animæ nostræ aucupetur incommodum, nihil boni reverà talis expectare debere.

§. 47. Ideò misis hisce, incestum & illegitimè comparatum, istum amorem, aut illius effectus exturbaturi meritò ad cœlestem nostrum Amorem confugiamus, & invictis precum atque naturalium, remediorum armis muniti hostes istos adgrediamur, & nihil intermitamus eorum, quæ in Naturæ & Artis potestate sunt, ut Proximum, istis Diaboli ludibriis eripere valeamus.

§. 48. Cùm autem *Methodus* medendi curationis sit anima, ideò & hîc illud observantes, *universalia* (modò hoc, modò illud, prout ægroti aut adfectus dispositio hoc intendat) esse præmittenda judicamus, ut sic expurgatis primarum viarum excrementis Archæus postea per specifica & alia eò meliùs operari, expellere & corrigere possit.

§. 49. Primum calculum merentur *Vomitoria*; quantum enim, illa in variis morbis methodicè & rectè adhibita possint, testantur Medicorum Clarissimorum plurimi, & imprimis *Neoterici*; cùm illa non solum materiam peccantem Ventriculo in hærentem, sed etiam in reliquis primis viis lascivientem retrahant & exturbent. Quamprimum igitur vel levisima alienius dati Philtri oboritur suspicio, ad utilius auxilium, quàm ad vomitorium, confugere non possumus, cùm subito exire foras jubeat illud omne materiæ malignæ, quod ventriculo est obtrusum. Sic Excellentiss. Dn. D. *Langius* juveni *suprà* citato feliciter exhibuit vomitorium, & quidè illud Clariss. P. J. *Fabri*, quod *Panchymici* sui Tomò ult. cap. 12. p. 526. emeticum pro Regibus & Magnatibus adpellitat, atque ex \odot , D , reg. §ii & §iò preparat; unde ille & ex primâ dosi quidè multum, sed absque levamentò evomit, hinc tertio post die illud idem mox ante ingruentis Paroxysmi tempus iteratò dedit ipsi, & ita *ἀνω* & *κάτω* materiæ foetidissimæ & nigerimæ ejecit saburram; quibus duabus emetici hujus dosibus ad integrum valetudinis statum redactus est, ut jam ne tantillum de amore illò furiosò amplius persentiscat.

§. 50. *Vomitoria* præcipua hîc sunt ex §iò parata, v. g. infusio *Viri* §ii , (ubi non sufficit filtratio per linteum, ne aliquid de nimis efficaci §ii substantiâ simul transeat; sed fiat per *chartam emporeticam*) *Flores* §ii *correcti* *Crollii*, Basilic. Chym. p. 133. Sic *Rulandus* Libr. 1. curat. empiric. pag. 32. refert, insanum ex *Philtrò* à maleficâ in placentis acceptâ, datâ *aquâ benedictâ Rulandi* (quæ *Croci metal-*

lorum

lorum est infusio,) feliciter evomuisse placentas, quæ in Terram projectæ effervescebant. Mirè etiam hic valet *aurum vitæ Casp. Kegeleri* ex Mercurio & Aurò, (præparationem vide in Ejus Tractatu de Peste, & ap. *Sennerium*, Institut. Medicin. Libr. 5. part. 3. sect. 3. cap. 18. p. 1443.) qui refert, sese illud non in Peste tantùm & pluribus aliis morbis; sed etiam contra Philtra variis optatò eventu exhibuisse; testaturque, efficaces illius vires, dum adhuc juvenis in hac Urbe degeret, in seipsò tribus vicibus experiri opus habuisse. Egregiam etiam præstant operam *Tartarus emeticus Mynsichti*, *infusio Mercurii vitæ*, *Sal Virioli*; *Platerus* maximi facit radicem *asaræ*; *Blochvizi* Anatom. Sambuci, cap. 33. p. 292. laudat olei flor. vel cortic. Sambuci unc. ii vel iii. in aquâ tepidâ; Excell. Dn. D. Langius tanquam probatissimum expertus est *Sal Virioli* Quis, in ∇ mellissæ vel rutæ.

§. 51. Per alvum evacuantiæ pro dispositione ægroti, & materiæ peccantis aliquando etiam proderunt, cum in nonnullis personis vomitoriæ adhibere non liceat, & tamen materiam evocare necesse sit per viam proximiorè & commodiorè. Præcipuè autem hæc convenient, quando jamdum *Mania*, *Melancholia* &c. ex Philtrò adest; Horum ingens farrago hinc inde occurrit apud Auctores, quibus omnibus palmam præripit *Helleborus niger*; & talibus purgantibus semper admiscenda sunt *specificæ* contra Philtra remediâ.

§. 52. Cum Natura, quò vergit, sit ducenda & adjuvanda; idè cum eam ad vias urinarias tendere viderit cautus Medicus, eam eò adjuvet necesse est: Variorum enim testatur experientia, in Philtris varia stupenda viis hisce urinariis esse excretas. Sic *Heinr. ab Heer*, observ. Spadan. 13. refert, juvenem quendam acceptò pulvere amatoriò varia incurrisse Symptomata, cujus sanitatem acceleravit quidam exhibitò *Ludò Paracelsi* urinis copiosius motis; Et testatur idem, *Calculus Microcosmi* pulverisatum & in aquâ nasturtii aquatici exhibitam contra Philtra & amore eroticò furentibus urinam copiosius pellendo plurimùm profuisse.

§. 53. Sequuntur *Sudorifera*, ut illud veneni vel materiæ noxiæ in vasa irrupens, antequam in visceribus pedem figat nobilioribus, per cutis poros expellatur. Commodè autem hæc cum adpropriatis miscentur; Sic *Tincturam* suam *bezoardicam Spiritui Secundinæ* mixtam laudabili effectu exhibuit *Magnif. Dn. Præses*; *Blochvizi* locò supra citatò commendat *decoctum cortic. medianor. sambuci subtiliss. derafor. & exsicca-*

ter. in sero lactis caprilli, dicitq; hocce mane & vesperi aliquoties datum
etiam ante *triennium* propinatam materiam noxiam expellere. Valdè e-
tiam hîc convenit *spiritus* & *tinctora theriacalis*, *extractum theriacale*.
Notandum hîc puto, medicamenta omnia, qualia etiam sint, *repetitis* esse
exhibenda *vicibus*, neque planè desistendum aut desperandum, si non su-
bitò expetitus respondeat effectus.

§. 54. Præmissis ex hisce, quæ præmittenda videbuntur Medico me-
thodico, deveniendum est ad *specifica & alterantia*, ut Microcosmi Repu-
blicâ planè exturbetur malignus iste hospes. Inter Specifica varia primas
obtinent *hypericum*, (quod pro aliis omnibus totâ substantiâ Diabolo,
veneficis, horumque operibus resistit, unde & *fuga Demonum* communi-
ter adpellatur,) *adiantum*, *antirrhinum*, *bacce herbe Paridis*, *corallia*,
& similia, item medicamenta ex illis præparata, *Tinctura flor. hyperici Myn-
sichti*, *Tinct. corallor.* *Tinct. antimonii Mynsichti*, *essentia flor. hyperici*,
Magister. cranii humani, *Margarite præparate*: *Electuarium Hartman-
ni*, *Practic. Chymiatri. p. 33.* sufficiens curando Philtro invenit Magnif. Dn.
Præses in studioso & aliis; ideò dignum censeo, quod hîc exprimatur. R.
Succi Melisse, hyperici ana ζij *radic. vincetoxici* ζss *lapidis Magnetis boni*
& *ferrum trahentis* ζij *Mellis despumati* q. s. *dosis* ejus a ζi ad ζss . *Essen-
tiam mumie humane, vel serpentum*, ut & omnia remedia Hermetice ex
Microcosmò & serpentibus præparata, item illa contra incantationes u-
surpari solita heic specificâ pellere Virtute, Magnif. Dn. Præsidis & Excell.
D. Langii constat Experimentiâ. Laudarus Dn. D. Langius summoperè eti-
am laudat *Tincturam* & *essentiam* ζi , *Spiritum* Oli ζi , & omnia medica-
menta ex ζ præparata. *Pulvis secundinae cum extracto theriacali* mixtus, i-
tem ejus *spiritus* aliquoties exhibitus mirè hîc etiam convenit. *Secundina*
primum nostrum, quando esse incipimus, & in Microcosmò sumus Micro-
cosmus, est domicilium; & dùm hospitium nostrum ampliùs esse nequit,
aliò eòq; egregiò nobis inservit modò, dùm plurimis morbis expellendis
conducit, & quidem tam diversis & gravibus, ut etiam Chymicus nostrâ
hâc ætate non infimi subsellii *Panacæam* inde conficere, ausus fuerit. Obi-
ter hîc notatum volo, quod quidam Amicus meus miros secundinarum
videns effectus & usus, consideraverit, quî fiat, quòd à plurium brutorum
partu non reperiantur secundinae, tamen in uterò sectò uti necessariæ, ita
manifestò conspicuæ? hinc *parturienti cani camerae* incluso semper ad-
stitit.

ditit, & vidit, secundinam egressam avido eundem statim devorasse impetu, quod *Natura* instinctu peculiarem illius ad usum fieri, negari non potest; Et hanc secundinam ab *equa* devoratam esse Antiquorum *Hippomanes*, quidam statuunt.

§. 55. Ante omnia autem laboret adcuratus Medicus, ut materialem possit invenire causam, an scilicet solis signis *magicis* & superstitiosis, an verò à rebus *naturalibus*, v.g. *sanguine menstruò, semine, urinà, alvi excrementis* &c. Amor iste seu Mania aut Melancholia sit producta? Si itaque de *priori* obtinuerit suspicionem, adhibeat illa specifica; Si de *posteriori*, specificis admisceat vel exhibeat alia, v.g. si à *menstruò sanguine* malitiosè propinatò ortus sit aut Amor aut vesania amatoria, tunc simul exhibeat *menses fortiter pellentia*; si *urinà mediante*, det fortia *diuretica*; si à *fecibus alvi*, det remedia illa excrementa aliàs *expurgantia* & *corrigentia*; de quo videatur *Paracelsus*, Tom. 1. Tract. 2. Cap. 5. de morbis amentium. Franc. *Hildesheimius*, Spicileg. 2. p. 148. testatur, si stercus amatae amasio in scio sub cervical ponatur, & ille odoris foeditatem sentiat, amorem solvi & desinere. Sic *Wolffg. Hildebrand* in *Magià Naturali* ex B. *Lutheri Dissertationibus Mensalibus* cap. 9. p. 104. refert, posse effici, ut veneficæ vaccas fascinantia omnia adsumpta sapiant amara, si illi lacti indatur stercus humanum, & agitetur. Magnif. Dn. *Præsidis* constat quoque experienciã, aliquem ita malè mediante alvi excrementò tractatum proprio suo *stercore* posse efficere (sine omni tamen fascino & superstitione,) ut illi nequam aut venefico omnia adsumpta sapiant amara, donec veniens commissum fateatur & deprecetur.

§. 56. Quando autem jamdum in contumacem degeneraverit Amor maniam aut melancholiam, tunc hisce specificis admiscenda alia contra hosce adfectus pugnancia, quæ ab Autoribus experienciã variã pollentibus passim commendantur & exponuntur v.g. *Tinctura lapidis lazuli, essentia anagallidis, sanguis asini vel muli, flores antimoniï Finckii*, & alia ex *antimoniò* parata, item *Priapismum Saryriasi* ac *furorem uterinum* refrenantia & coercentia. Deliria hæc nullò non tempore fatigârunt, & adhuc fatigant Practicorum etiam felicissimos & doctissimos, illorumque exhibita remedia quasi illudunt, & difficulter sunt curabilia: Ut autem in rebus omnibus miranda *Naturæ* arcana magis, magisque patefiunt, ita etiam novi Medicum aliquem

47.
aliquem mihi familiarem, qui deliriorum genera omnia etiam ab aliis ceu desperata relicta, solò aliquò externò, liquore nimirum aliquoties fronti & temporibus adplicitò sanabat; nil aliud agebat, præmissis universalibus, neque internè aliquid simul propinabat.

§. 57. *Externa* quod concernit remedia; à pluribus laudatur illud *Emplastrum*, quod habet *Hartmannus*, Prax. Chymiatri. p. 33. *Suffumigia* non inutiliter fieri poterunt ex *coralliis rubris & albis*, *dentibus hominis mortui*, *herbâ & semine antirrhini*, *fol. & semine ricini*, & similibus.

§. 58. Quod *Fontem Chirurgicum* concernit, hîc imprimis sese offert *venesectio*, quæ locum habebit, si materia noxia jamdum in vasa copiosè sit rapta, aut in Maniam, Melancholiam, &c. abierit, aut si *Plethora* vel alia indicantia adsint; non tamen nimis copiosè educatur sanguis, cum certò constet, per hancce plus laudabilis & spirituosus, quàm crassioris & impurioris exire sanguinis.

§. 59. Quod ad *Fontem Diæticum*, modis eò laborandum est omnibus, ne rebus non-naturalibus iterum destruat, quod magnò medicamentorum labore restitutum & correctum est; utque illa neq; excessu, defectu aut aliter peccent. *Aer* sit temperatus, vaporibus noxiis caput petentibus non obnoxius; Imprimis danda opera, ut in nostrò corpore *Fermentum* tam *Stomachi* quàm *Sanguificationis* naturaliter sese habeat; Fugiat æger *Ebrietatem*, animiq; *perturbationes* omnes. *Motus & quies* sunt naturalia & mediocria, meliùs tamen si *quies* prævaleat; *Æger* ad *somnum* paulò frequentiore invitetur; *Excreta & retenta* naturalem obtineant vigorem.

§. 60. Et hæc etiam de Amoris istius, ac ejus malitiosorum effectuum sanatione breviter dicta sufficiant! Ut autem Tecum incepti, ita Tecum finio, Archiater Cœlestis, humilimas referens gratias, quod immensâ Tuâ gratiâ mihi semper adesse, ac Tui Favoris Favoniis ad portum me perducere feliciter volueris. Concede, sis, benignè, ut Spartam hanc, quam nanciscor, exornare, Libramque mihi concreditam non Terræ concredam; sed in Nominis Tui Gloriam,

& Proximi commodum plura Tibi inde lucrari valeam!

F I N I S.

Leipzig, Diss., 1660 / 61


ULB Halle 3
005 021 650



SB

VD77





B.I.G.

Farbkarte #13

1661, 5
17
22
17

ELESTI ARCHIATRO

Clementer adnuente!

Consensu & autoritate

isfimi Medicorum in Illu-

stri Philyreâ Collegi,

PRÆSIDE

VIRO

Maximè - famigerabili

IOHANNE MICHAELIS,

Patronorum Supremo,

ITATIONEM INAUGURALEM

De

PHILTRIS,

OLICENTIA

ALES in Arte Medicâ obtinendi HONOR

RES ac Privilegia,

diem XXVII. Septembris, Anni Messiani

cl. lxx LXI,

Publicæ subicit censura

IEL CLAUDERUS, Altenburgo
Misnicus.

LIPSIÆ,

excudebat JOHANNES WITTIGAU,